



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Theologia Moralis**

**Reiffenstuel, Anaklet**

**Monachii, 1699**

II. In quibus consistat Immunitas localis, sive Ecclesiarum?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40206**

Instantia  
contra hanc  
solvitur.  
(b) Tract.  
11. Dist. 4.  
n. 14. &  
seqq.

9. Neque obstat allata instantia de Decimis : nam Decimas etiam hodie esse Juris Divini, quatenus requiruntur ad necessariam Ministrorum Ecclesiæ sustentationem, superius (b) jam dictum est. Verùm de hoc plura Canonizæ.

## Q U Æ S T I O II.

In quibus consistat Immunitas localis, sive Ecclesiarum ?

Immunitas  
localis con-  
sistit in  
duobus ; &  
quibus ?

10. **C**ONCL. I. Immunitas localis (quam alij appellant *Immunitatem Ecclesiarum*, sub his etiam comprehendendo Cæmeteria, & alia loca Religiosa) consistit in duobus : videlicet, ut actus profani, & sæculares ab Ecclesijs arceantur ; deinde, ut malefactores ad Ecclesias confugientes, ibidem in vita & membris protegantur, neque violenter inde extrahi possint. Et quidem de hoc posteriori fufius dicitur *Distinct. sequenti* ; quantum verò ad prius attinet, sit

Judicia sæ-  
cularia pro-  
hibentur  
fieri in Ec-  
clesijs, vel  
Cæmeterijs,  
sub nullita-  
te actus.

11. **C**ONCL. II. Inprimis in Ecclesijs, earumque Cæmeterijs, prohibitum est, exercere judicia sæcularia ; adeò quidem, ut totus Processus judicialis, & sententia super causa sæculari ibidem lata, ipso jure irrita, & nullius roboris existat. Ita expressè statuitur *c. Decet. §. fin. de Immunit. Eccles. in 6.* ac tenent Doctores communiter. Et hoc quidem procedit non solum de causis criminalibus, sed etiam de civilibus ; quæ ad Forum sæculare pertinent ; uti patet ex textu. Maximè tamen Immunitati Ecclesiarum repugnat, atque *absurdum est, & crudele, si iudicium sanguinis ibi exercatur, ubi est tutela refugij constituta*, ut dicitur *c. Cum Ecclesia, de Immunit. Eccles.* Ubi proin, præter nullitatem processus, etiam sub pœna excommunicationis prohibetur agitare causas sanguinis in Ecclesia, vel Cæmeterio.

Secus di-  
cendum de  
Judicijs Ec-  
clesiasticis.

12. Dicitur notanter, *Judicia secularia*. Siquidem Ecclesiastica Judicia ibidem validè, & licitè tractari possunt, *arg. c. Qua fronte, de Appellat.* & docet Glossa communiter recepta *cit. c. Decet. §. Sæcularium, de Immunit. Eccles. in 6.*

Solvitur in-  
stantia.

13. Nec dicas. Judicia Ecclesiastica prohibentur exerceri in die Festo, non minùs, ac sæcularia ; ergo etiam utraque prohibentur exerceri in loco sacro. Resp. enim negando consequentiam & paritatem : nam æquè, imò plus decet, ut Clerici in Forensibus actibus non occupentur diebus Festivis, ac Lai-

ci-

ci. At loquendo de loco, Ecclesia praesumere potuit, Judicia Ecclesiastica cum minori strepitu, minorique tempore expedienda fore, quam saecularia: simulque Judicem Ecclesiasticum majorem curam adhibiturum, ut omnia sine irreverentia loci sacri fiant. Fatendum tamen, magis decens esse, ut etiam Ecclesiastica Judicia non in Ecclesia, quae domus est orationis, non jurgiorum, sed in Palatio Episcopali, aut alio competenti loco fiant. Pirhing tit. De Immunit. Eccles. n. 7.

Quid magis deceat?

14. CONCL. III. Insuper prohibitum est in Ecclesijs, eorumque Cemeterijs, facere contractus, vel negotiationes, aut mundanas instituere. Ita communis; & habetur cit. jo. Decret. de Immunit. Eccles. in 6. ibi: Cessent in Ecclesijs, eorumque Cemeterijs negotiationes, ac fori cujuscunque tumultus. Adque merito statutum est ad exemplum Christi Domini, qui ingressus in Templum Dei, ejiciebat omnes vendentes, & ementes in templo, & mensas nummulariorum, & cathedras vendentium columbas evertebat, & dicit eis: Scriptum est, Domus mea, domus orationis vocabitur: vos autem fecistis illam speluncam latronum, Matth. 21.

In Ecclesijs, ac Cemeterijs, facere contractus &c, non licet.

15. Licet autem contractus in Ecclesijs facere sit prohibitum, idem nihilominus de facto imitari valent: nam nullo jure irritantur, sicut cit. o. Cum Ecclesia. de Immunit. Eccles. cassantur Judicia saecularia. Simulque isthaec Constitutio, cum sit poenalis, non est extendenda ad contractus, & notat Glossa passim recepta cit. o. Decret. x. processus.

Sed si fiant, non sunt irriti.

16. Caeterum in Templis vendere candelas, si id fiat ad Fidelium devotionem promovendam, non est illicitum. Azorius part. 2. lib. 9. cap. 9. quaest. 5. Angelus, & alij. Nam prohibetur quidem omnis negotiatio, vel contractus, qui sit lucri gratia, aut Divina Officia perturbat, vel impedit: hoc tamen non accidit in venditione candelarum causa promovendae devotionis Fidelium.

Quid de venditione candelarum?

17. CONCL. IV. Ulterius in Ecclesijs prohibentur fieri Concilia, Conciones, & publica Parlamenta (intellige, quando talia fiunt de rebus merè temporalibus, & saecularibus; nam Concilia, & Conventus de rebus Ecclesiasticis, aut ad pietatem spectantibus, rectè ibidem instituuntur.) Item confabulationes qualibet, & quaecunque alia, quae Divinum possunt turbare Officium, aut oculos Divina Majestatis offendere. Ita his ipsis verbis habetur cit. o. Decret. eod. in 6.

Ibidem prohibentur fieri Concilia saecularia, Confabulationes, &c.

Comædiæ  
profanæ.

18. Deinde Comædiæ profanæ, ac ludi Theatrales, penitus in Ecclesijs fieri prohibentur; non obstante quacunquæ consuetudine contrariâ, quæ potius corruptela dicenda est, *o. Cum decorum. de Vita & honest. Cleric.* Quamvis pia & honesta spectacula ibidem exhiberi valeant. Pirhing *loc. cit. n. 14.* post Sylvestrum, & alios.

Comestiones, vel accubitus, &amp;c.

19. Item non oportet in Basilicis, seu Ecclesijs agapem facere, & intus manducare, vel accubitus facere, *c. Non oportet. dist. 42.* Neque intra Ecclesiam possunt suppellectilia reponi; nisi id necesse sit propter hostiles incursus, aut alias necessitates, quibus tamen cessantibus ad pristina loca reportari debent, *arg. c. Oratorium. dist. 42.* & tradit Azorius *loc. cit. q. 3.*

Musice impuræ, omnèsq; actiones sæculares,

20. Tandem novissimè Concilium Trid. *Sess. 22. in Decreto de observandis & evitandis in celebratione Missæ,* statuit, ut Ordinarij locorum ab Ecclesijs musicas eas, ubi sive organo, sive cantu lascivum aut impurum aliquid miscetur, item sæculares omnes actiones, vana, atque adeò profana colloquia, deambulationes, strepitus, clamores arceant; ut *Domus Dei verè domus orationis esse videatur, ac dici possit.*

Quid de Disputationibus?

21. Quæres, an licitum sit, Disputationes in Ecclesijs habere? Resp. affirmativè: quia scientia est donum Dei, & res sancta, *arg. L. 1. ff. de Varijs & extraord. cognition. ibi: Et quidem res sanctissima, civilis sapientia.* Abbas *c. Cum Ecclesia. de Immunit. Eccles.* Azorius *loc. cit. q. 4.* Pirhing *n. 11.* & alij.

Violentia Ecclesijs non est inferenda.

22. CONCL. V. Ad Immunitatem Ecclesiarum pertinet etiam, ne quis eis violentiam inferat, infringendo earundem fores, vel ipsas spoliando suis bonis, aut hujusmodi quidpiam attentando. Paret hoc ex *c. Omnes. & c. Quisquis. 17. q. 4.* cum concordantijs, ubi tales judicantur sacrilegi. Quinimò Ecclesiarum Dei violatores, sive cum effractione spoliantes Ecclesias, ipso jure excommunicati sunt, *arg. c. Canonica. 11. q. 3. & c. Sicut. 17. q. 4. & c. Conquesti. de Sent. Excom. junctâ Glosâ ibidem, & Excommunicatos nunciatis.*

Pœna contra facientium.

## Q U Æ S T I O III.

### De Immunitate reali, & personali.

Immunitas realis, &amp; personalis, in quo consistat?

23. CONCL. I. Immunitas rerum, & personarum Ecclesiasticarum (quam aliàs *realem, & personalem* appellant) generatim consistit in hoc, quod res, atque personæ Ecclesiasticae, à jurisdictione sæcularium Magistratuum, eorundemque